



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Linda Mariana, Sive De B. Virgine Lindensi**

**Clagius, Thomas**

**Coloniae Vbiorvm, 1659**

VI. Unica iduum Majarum dies.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11544**

## CAPUT VI.

Unica Iduum Majorum dies.

[I]dis Maji Idibus, quæ in xv. mensis incurrunt diem; Argeorum sacra Romanis veteribus agebantur: quibus oscilla, sive simulachra hominum scirpea, quotannis de Ponte sublicio in Tiberim, per virginem vestalem præcipitabantur. Nam ut Varro (a) ait: *Argei fiebant è scirpeis virgultis; simulachra erant hominum triginta; ea quotannis à sacerdotibus publicè iaci solebant in Tiberim.* Et Ovidius in fastis:

*Tum quoque prisorum Virgo simulacra virorum  
Mittere reboreo scirpea ponte solet.*

Causas ejus rei varias tum ille eodem loco, tum in Quæstionibus Romanis (b) Plutarchus inquirunt. Potissima videtur illa, quam Plutarchus ita proponit: *Antiquitus barbari loca illa incolentes, hoc modo interficiebant, si quos Græcorum cepissent. Hercules autem, cuius virtutem admirabantur, docuit eos, dimisso more peregrinos interficiendi, simulachris eum representare,isque iaciendæ religione se solvere. Argeos autem, sive Argivos quosvis Græcos nominavit antiquitas.* Apud Lindam Marianam scirpeorum loco Argeorum, non simulati sed veri corporum humanorum mentiumque morbi, quasi de quodam ponte in præceps iisdem Maji Idibus, dantur illius virginis manu, quæ & vestales omnes in terris, & ipsos Angelos in cælis puritate longissimo post se relinquit intervallo.

Sf 5

I. Duo

(a) lib. 6. de Lingua lat. (b) quæst. 32.

## I.

Duo conjuges, à fædæ luis contagione vellervati  
velliberati.

Arensdorff Vormditensis coloniz pagusest, ex  
quo plurimi hâc die, sua Deiparæ vota persolverunt.  
Et quidem Andreas Damerau, hyeme proximè elap-  
psâ fædam alicubi luem contraxerat, quæ etiam in  
conjugis vergebat contagionem. Ne porro pericu-  
lum, etiam intra domesticos serperet, uterque conju-  
gum voto se peregrinationis Lindensis obstrinxit,  
atque exinde uterque periculo, quin & morbo solu-  
tus est. Quocirca uxor, ne tardius marito Lindensem  
ingrederetur Ædem, tanquam debilior illum brevi  
consecuturum cum aliis duodecim præcessit. Verùm  
ita vites in ipso itinere sunt auctæ, ut maritum etiam  
antevertere Lindam potuerit.

## II.

Aliud par conjugum capitis aut pedum dolo-  
ribus exemptum.

Petrus Werner ex eodem pago, gravissimis pe-  
dum cruciatibus, quemadmodum conjux ejus Ger-  
trudis diuturno capitis dolore, jam ante annos tres  
facto Lindam voto liberati, quovis anno, gratias  
Deiparæ aëtur, Lindam revisunt.

III. Puer.

## III.

Puerpera & prolem, & se voti ream Deiparæ  
sistit.

Anna Martini Bludau ex eodem pago coloni  
xor, visa sibi per somnium prolem, quam utero ge-  
stabat, Lindam identidem deportare. Cùm igitur  
Georgium filiolum prosperè esset enixa, priùs quàm  
annus evolveretur, illum tanquam hornam Deiparæ  
messes, comitante marito, stitit. Quod eò quoque  
fecit alacrius, quod ipsa, à partu morbo periculoso  
correpta, nullum in humanis remediis præsidium in-  
venit: invenit tamen apud DEI Matrem, cui non  
modò se, verùm & prolem iterum atque iterum de-  
voverat.

## IV.

Juvenis feбри periculosâ liberatus.

Thomas Langerwald, fere totâ superioris anni  
hyeme, perinde fere cum ardoribus febrilibus, atque  
cum remediis variè adhibitis conflictatus est in eo-  
dem pago. Deploratis propè rebus, Deiparæ Lin-  
densis opem, suis ac matris suæ votis imploravit.  
Hinc verò alexipharmacum misero affuit; ut, brevi  
morbo exemptus, vix ullam interposuerit, tum ca-  
pessendæ Lindam viæ, tum reddendo voto, moram.

## V.

Infans ab enormi hernia sanatus.

Ex eadem quoque villa Bernardus Schultz, cum  
Regina conjuge infantem suum Joannem, Dei Matri,  
tan-

tanquam unâ secum voti reum, præsentem stiterunt. Vixdum natum illum superiore anno hernia enormis exceperat; quæ cum nullis chirurgorum præsidis curari posset, simul ac infans voto à parentibus concepto, Deiparæ Lindensi oblatusest, momento curata est; ut & parentes, & alii, qui omnium conscii erant, attoniti, tantam Dei ac Deiparæ potentiam juxta ac pietatem mirarentur.

## VI.

## Diuturna febris depulsa.

Casparis Thiel ex Beneren filia Gertrudis, sed in vicino pago Arensdorff obsequiis Gregorii Graff coloni addicta, feбри per tres omnino menses ante triennium afflicta, adhibitis plurimis undique remediis, nullum nisi in B. Virginis Lindensis præsidio invenit. Voto enim Lindam & Glotoviam facto, repente convaluit; & jam bis Lindam revisit, tertium insuper, uti vovendo promiserat, revisura.

## VII.

## Brachium læsum iteratò restitutum.

Georgii Wolff ex Eschenau Gutsstadiensis agri pagogo filia, quæ interim Fabio Schub colono Arensdorffensi ad obsequia domestica operam suam addixerat, per aliquot annos brachii dextri, præ magnitudine cruciatuum, pene omnem usum perdiderat. Quin, præterquam quòd manum operi admovere nusquam posset, etiam noctu, præ eadem doloris acerbitate, capere quietem nullam poterat. Reddita illi

potiò & quies & sanitas, ubi in vota Divam Lindensem jam ante triennium vocavit. Cùm autem proxime præteritâ idem dolor sensim recurret, iterum ad B. V. Lindensem Anna receptum habuit, eo eventu ut confestim à voto revaluerit, & nunc votum incolumis exolverit.

VIII.

Exulceratus pes iteratò sanatus.

Margareta Vincentii Werner, in eodem pago Aensdorff inquilini filia, pedem dextrum superioris anni hyeme per quinque hebdomas graviter exulceratum habens, nullum aliud, nisi à B. V. Lindensi præsidium adhibuit, & mox revaluit. Recurrente autem, hoc anno, eodem malo, & jam sensim in ulcera raverante pede, & illa pariter ad suam iterum sospitricem recurrit, iterumq; ejus beneficio sospes, votum, uti promiserat, Lindæ coràm hodie dependit.

IX.

Pedis sinistri dolor depulsus.

Andreas Homan, qui eodem in pago famulum apud quendam colonum agebat, præterlapsâ hyeme sinistrum pedem, incertum qua ex causa, intimis sibi doloribus excruciatum sensit: neque tamen minùs opem Deiparæ Lindensis, ubi votum illi nuncupârat, adesse sibi sensit. Cùm enim antè ægerrimè insistere pedi illi posset, progredi verò nusquam turò posset, ab eo tempore, non modò progredi, sed & iter undecim circiter leucarum ingredi ac facilè conficere potuit.

X. Gra:

## X.

Gravis dentium cruciatus subitò mitigatus.

Anna Joannis Kelm eodem ex pago filia, cum aliàs tum hoc maximè anno, ex dentibus gravissimè laboravit, ut per hebdomadas tres vix ferendo dolori sufficeret. Non sunt neglecta, quæ aut tollendo, aut saltem leniendo malo opportuna videbantur præsidia; nullo alio, quàm si penitus neglecta fuissent, eventu, atque commodo. Certissimum & facillimum apud Divam Lindensem præsidium fuit, quo & dolor omnis, & periculum extemplo sublatum est.

## XI.

Diuturnus, & gravis laterum dolor abstersus.

Nicolaus Herder ejusdem pagi incola, laterum doloribus, gravibus juxta ac diutinis affligebatur. Conjux illius Gertrudis, & viri, & suam, totiusque domus calamitatem, perferre cum ampliùs non posset, aliud tamen malis tantis remedium non reperiret, ad Lindense asyllum confugit. Facile etjam difficillimo morbo invenit præsidium. Exinde enim morbus plurimum remittere cepit, ut mulier quamquam viro integram necdum videret sanitatem restitutam, restituendam nihilominus, ubi votum ipsa exolvisset, minimè dubitaret.

XII. Ul-

## XII.

## Ulceribus toto corpore oblitus curatus.

Sex è vicino Ducatu homines, è pagis oppido An-  
 nis (sex itidem leucis Lindâ distito) vicinis, vota sua  
 Deo ac Deiparæ reddituri, iter unâ ingressi, oppidum  
 Rhein præteribant. Ibi Vice-præfectus Arcis de pe-  
 regrinis certior factus, non tam pro jure, quod illi in  
 causa religionis catholicæ nullum omnino compe-  
 tit, quàm aut pro stimulis à Prædicantibus admotis,  
 aut pro insito hæreticis erga Deiparam Lindenlem  
 vitio, eos accersit, & pro hæretica scilicet majestate,  
 gravibus in eos minis detonat. Tametsi verò inter  
 eos nonnisi duo essent Catholici, quatuor verò reli-  
 qui se etæ Lutheri obnoxii, nemo tamen eorum mi-  
 nis ac terroribus victus est, quo minus captam per-  
 urgeret peregrinationem, Dei que magis quàm ho-  
 minum haberet rationem: præsertim, cum singuli  
 eorum, Deiparæ Lindenli singulariter se obstrictos  
 agnoscerent. Et quidem Andreas Dura ex Odoja  
 pago, vir annos quinquaginta fere prætergressus, ul-  
 ceribus jam inde à puero oblitus, matre votum ad  
 B.V. Lindenlem nuncupante, confestim perlanatus  
 erat. Tanto igitur alacrius nunc ipse gratias Dei-  
 paræ egit, quanto jam inde ab emissio per ma-  
 trem voto, magis extitit ab eo malo immu-  
 nis.

XIII. Pe-



## XIII.

## Pedibus exulceratis reddita sanitas.

Ex eodem pago mulier Christina, filiam suam Annam, & aliam Virginem Catharinam voti reas Lindam comitata est. Utraque ex pedibus graviter exulceratis aliquando periculosè ægra, adeoque Catharina annum solidum lecto affixa; utraque voto Lindam factò, opem Deiparæ subito experta; & ideo utraque iter septem circiter leucarum alacriter pedes dementa.

## XIV.

## Nervi &amp; vulnere contracti, ex voto Lindam factò restituti.

In eodem cum prædictis comitatu, sed alio ex pago Czarn dicto, venit Stanislaus homo catholicæ fide, quam inter hæreticos intaminatam servat, à teneris imbutus, ideoque, Deiparæ præsidio præ cæteris dignior visus. Quatuor ante annos, cum Regi Reiq, publicæ perduelles Colaci, Tartarorum auxiliis suffulti, pleraque in regno Poloniae attererent, & bello domandi essent, etiam Stanislaus, qui prælio interfuit, noxam suo corpore ab iis exceptit. Sagitta enim circa femur ictus, læsis atque contractis ex eo vulnere nervis, pessimè affectus erat. Ne porro ad extremum penitus subnervaretur, Deipara Lindensis, cujus opem imploravit, & cui nunc gratus votum persolvit, præsidio fuit.

XV. Er.

## XV.

## Extinctus febrilis æstus.

Thomas Treilich Heilsbergâ oriundus, sed Traumburgi apud figulum suo intentus opificio, febrilibus anno superiore caloribus, ad quatuordecim hebdomadas exæstuârat. Nullum interea opus suscipi, ac ne quies quidem admitti ulla potuit. At ubi se in æstibus sub Tiliæ Marianæ umbram voto facto, recepit, & quies, & sanitas, depulsâ febre, continuo rediit.

## XVI.

## Comitalis morbus exesse iustus.

Anna Antonii Jordan, in Trauendorff Meelsacensis agri pago, cauponis filia, quatuor viæ comites eosdemque receptæ per Deiparam sanitatis habuit testes. Sacer, illam morbus invaserat, sed non diutius grassari permissus, quàm illa opem à Divâ Lindenli imploravit simul, & obtinuit. Ita quidem fissa est ipsa, ita viæ comites, uti omnium consciis, affirmavêre omnes.

## XVII.

## Capitis dolor &amp; vicina admodum insania repulsa.

Jacobus Silberbach, è Tingen Vormditensis agrî pago, dilatam à triennio votum tandem exolvit. Capitis dolore per annum solidum perdurante, prope ad amentiam erat redactus, ut etiam illicita apud varios quæsierit remedia. Quæ omnia cum nequidquam essent adhibita, ad B. V. Lindensem se vertit, & opem

T c

&amp; opem

& opem continuò invenit: ut ab eo tempore; quo fecerat votum, sanus omnino sit; tamen per omne triennii spatium, variè impeditus, dependere votum ad hanc usque diem nequiverit.

## XVIII.

## Capitis dolore levatus.

Ex eodem pago Tingensi, eodem, quanquam migliore aliquanto capitis morbo, laborabat Petrus Schœensee; neque alia quàm ejusdem B. V. Lindenensis ope revaluit jam ante biennium. Et erat sanè par, ut votum, quod jam tum salutare expertus erat, citra moram Deiparæ Lindensi persolveret; sed quod variz tum causæ prohibuerunt, hac demum die memor beneficii pariter què gratus persolvit.

## XIX.

## Hernia arte humana incurabilis sanata.

Casparus Berend, Georgii in Krekollen coloni filius, sed opificio sutor, plus triennio herniam, & ex ea cruciatum, tumori ingenti parem, patiebatur. Nihil prosum erat levamenti, sive à retinaculo, quo malum in abdominis capacitatem repulsum coerceretur; sive à præsiidiis, quæ & varia & plurima, undique sunt adhibita. Decollante undique sanitatis spe, in ea spem reposuit, quæ apud Lindam nihil solet negare supplicibus. Supplicandi finis, sanitatis initium fuit: ut ex eo tempore, & vitio & dolore omni vacuus sit.

## XX.

Pectoris & capitis languoribus  
expeditus.

Anno proximè elapso per duodecim hebdomadas, Thomas Braū, acerbissimis quæ pectoris, quæ capitis doloribus afflictus, nullū in Krekhausen, ubi hortulanus degebat, nullum alibi tantis malis invenit præfidium. Quò majore fiducia, & pectoris & animi vora ad Divam Lindensem vertit. Neque minorem in ea facilitatem beneficentiamque expertus jam tum erat, cui hodie grates, quantas pectus humanum capere potest, agere contendebat.

## XXI.

## Brachii &amp; pedis vitia curata.

Christophorus Benell Boëmus, Pragâ oriundus, Meelfacci in Prussia sedem fixit, & consequente deinceps tempore, ipsemet lecto affixus est. Hyeme enim proximè evoluta, tum pedum tum brachii dextri vitio, undecunquetandem contracto, nusquam nisi in lecto aliquam invenit requiem. At postquam salutem undique deploratam Deiparæ Lindensi commendavit, adjectoque peregrinationis voto fidem suam obstrinxit, & pedum & brachii, quasi manicis pedicisque solutus extemplo est; ut pedes exinde peregrinationem Lindensem aggessus feliciter absolverit, & non nisi pedes, prope quinquaginta millia passuum redux voluerit re-  
metiri.